



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1712**

Q. 247. An communiter debeat judicari dispositus, qui confitetur aliquod mortale primâ vice commissum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42433**

cans non vult Deum tollere , attamen vult ei displicere : Dæmoni potius quàm Deo vult istâ actione placere. 5. Omne veniale est magna ingratitude, inobedientia, injuria contra Deum, cui gloriam suffuratur : est abusus divinæ omnipotentia: est aliqua aberratio seu deflexus à fine ultimo. 6. Deus odit veniale, & hoc debet esse satis homini , qui cogitat Deo æternum frui. Veniale Deo summè bono malum est , Deo summè digno semper & omni possibili modo amari, coli, honorari , displicet, & ideo detestandum est. Detestare igitur, dolere, proponere non committere imposturum.

Q 247. *An communiter debeat judicari dispositus, qui confitetur aliquod mortale primâ vice commissum.* R. Negant Jansenistæ & Rigoristæ multi cum *Opstraedt* in Pastore bono p. 4. c. 6. §. 1. n. 4. ideoque inquiunt, absolutio dari non poterit, nisi fortè accideret casus miraculosæ conversionis aut esset articulus mortis , quod magis dicunt, si mortale sæpius repetitum confiteretur : 1. quia Christus ad hoc instituit Confessarios , ut disponerent peccatores ad pœnitentiam, hoc autem frustra fecisset, si illi communiter venirent bene dispositi. 2. Quia necessaria pœnitentis dispositio regulariter cognosci non potest, nisi ab effectu, qui est probata per experientiam vitæ emendatio. 3. Sic fuit usus primitivæ Ecclesiæ, in qua nemo absolvebatur, nisi qui multo tempore Sacerdotum operâ ad absolutionem esset præparatus. Sententia ista prorsus rejicienda est , quia praxis communis Ecclesiæ contraria est , nempe pœnitentem communiter rectè judicari dispositum & posse absolvi , qui primâ vicè confitetur aliquod



mortale, nisi quid speciale obstet: Et hæc præca  
est certissima regula operationis, secundum  
dicta n. 1230. *Ad 1.* rationem in oppositum  
nego Christum voluisse disponi poenitentes  
quando inveniuntur sufficienter dispositi. *Ad*  
*2.* Non prærequiritur emendatio, uti constat  
dictis n. 1231. *Ad 3.* Causa differendi absolu  
tionem in primitiva Ecclesia erat circa poeni  
tentes, qui fidei mytheria aut etiam modum  
confitendi non satis sciebant, ideoque prius  
instruendi erant, quod nunc communiter ne  
cessarium non est.

¶ 1729. *Q.* 248. *An frequens relapsus semper sit signum*  
*quod antea defuerit dolor vel firmum propositum: Et*  
*quænam universim sint signa veri doloris & propositi*  
*R.* Frequentem relapsum esse signum, quod  
defuerit dolor aut propositum, tenent Janse  
nistæ & Rigoristæ plurimi cum *Opstraedi* in Pe  
store bono p. 4. c. 6. §. 3. sed certum est id non  
esse universaliter verum:

1730. §. 1. Frequens relapsus est quandoque si  
gnum, quod defuerit dolor aut propositum  
nam rectè dicit *Lugo* d. 14. n. 160. Qui efficac  
ter proponit & seriò rem aliquam, quam ali  
unde moraliter implere potest, non ita facile  
obliviscitur statim sui propositi, sed saltem per  
aliquod tempus perseverat, & difficilius vel  
rarius cadit. Quod potissimum verum est, si  
nova vehementior tentatio vel occasio pericu  
losior non intervenerit.

1731. §. 2. Frequens relapsus non semper est si  
gnum, quod defuerit dolor vel propositum.  
Probatur, alioquin quoties poenitens relabere  
tur, toties obligaretur ad repetendas omnes  
priors confessiones tanquam invalidas, quod  
est